

05

A

1762





ΘΑΝΑΤΟΛΟΓΙΑ
SIVE
DISPUTATIO PHILOSOPHICA
DE MORTE.

Quam,
D. T. O. M. A.

*In Patriâ Academiâ,
Almâ Leucoreâ.*

SUB PATROCINIO
VIRI

Præclarissimi, Amplissimi atqve Excellentissimi

DN. JOHANNIS Sperlings/

Philosophi, atq; Naturalis Scientiæ Professoris
Publici longè celeberrimi, Præceptoris,
Brabeutæ atqve Patroni sui ætatem ho-
norandi.

*ad placidam συμβολολογίαν pro more
instituendam exhibet ac proponit*

M. PAULUS PHILIPPUS RÖBERUS

SS. Theologiæ Studiosus.

*Ad diem 9. Augusti horis matutinis
in ΑΚΡΟΑΤΗΡΙΩ Majori.*

*Quotidiè morimur, quotidiè enim demitur aliqua pars vite. Hunc ipsum quem
agimus diem, cum morte dividimus. Quemadmodum clepsydram non extremum
stillicidium exhaurit sed quicquid antè defluxit: sic ultima hora, quæ esse desinimus,
non sola mortem facit, sed sola consummat. Seneca Epist. 24.*

WITTEBERGÆ

Typis Fincelianis, Anno clc lxc LVI.



SPEI PATRIÆ PARENTUMQVE NOBILISSIMÆ
VIRIS - JUVENIBUS

*Pereximiis, Præstantissimis, Humanissimis
atque Doctissimis*

DN. URBANO PRÖLEO, Stolpensi Pomerano.

DN. CHRISTIANO ADOLPHO BALDUINO, Nob. Cor.

Poëtæ Cæs. Döbelensi Misnico.

DN. PETRO GRÜNENBERGEN, Pomerano.

DN. FRIDERICO GRÜNENBERGEN / Prusso.

DN. ADAMO IMMANUELI RÖNNINGEN /

Cöslinensi Pomerano.

DN. AUGUSTINO MUSSÆLIO, Pomerano.

Theologiæ, Jurisprudentiæ atq; Philosophiæ Candidatis
ac Studiosis Optimis.

*Dominis, Fautoribus, Consobrino, atq; Amicis meis
plurimum honorandis,*

quos quidem una DOMUS & Mensa mihi
jam temporis in celeberrimâ hac Academia
Wittebergensi conjunxit,

Disputationem hancce Philosophicam

Testandi adfectus ergò

L. M. Q. D. C. Q.

AUCTOR

M. PAULUS PHILIPPUS RÖBERUS

SS. Theologiæ Studiosus.



05 A 172

CUM Deo glorioso.

Præloquium.

Exruditè admodùm atq; convenienter
satis Poëta Tragicus ille, Euripides, monet:

Ἄν δ' ἐγγύς θάνατος, εἰδείς ἐέλθαι θνήσκειν h. e.

Morte licet propiore, nemo tamen mori discipit.

Subinnuens illis ipsis verbis, in humanis mentibus cœcam fervere cupiditatem, ut quò propiores sint ac viciniore mortis, eò remotiores esse à cogitatione ejusdem velint, magisq; exoptare immortalitatem jucundam. Ita quoq; comparatum esse, si rectè ponamus calculum, facilè apparet. Etenim non apud gentiles solum, qui spem alterius vitæ fovere possunt nullam, τῶν δειῶν φοβερῶτατον mors audit Aristotele teste, sed inter nos quoq; qui à Christo profitemur nomen, invenire licet haut paucos, quibus vel ipsum mortis nomen exosum videtur ac formidabile.

Cum verò ipsa experientia quotidiana mortalitatis exempla subindè nobis ingerat, & quivis se morti propiorem fieri quotidiè fateri habeat necessum, haut immeritò inevitabile illud fatum perpetuâ cogitatione persequendum venit. Dum igitur meditamur quæ sunt suprâ nos, rimamur quæ sunt infrâ nos, miramur quæ sunt circa nos

haut infrequentem, potius quæ intra nos sunt, meditari, rimari atq; mirari decebit.

Quod rarum est carum omniq; admiratione dignum esse judicamus, annon majorem id quod quotidiè fieri solet meditationem cum admiratione conjunctam merebitur? Placet igitur in hoc exercere ingenium, pro illiusq; tenuitate brevissimam Mortis instituire *διάσκηψιν*, atq; agerè potissimum de definitione tum nominali tum reali partim, partim quoque de divisione ac causis mortis, quibus omnibus succinctæ quæstiones atq; axiomata subjungenda erunt. Etenim non insignem solum in Theologiâ usum habere hæc ipsa doctrina videtur, sed ipsa quoq; *Philosophia*, Platone divino judicante, *mortis*, tam discendæ quam obeundæ *meditatio* existit. Approbabit institutum quivis cordatus, quicquid effutierit Momus, neque si omnia non exactè atque accuratè comprehensa sint, vitio mihi, brevitatis studioso, dabit idem.

Faxit ille, qui vitam cuiq; dispensat ac fatorum ordinem, ut omnia FELICITER!

Sit ergò

Thesis

I. *A nominibus auspicandum esse*, quippè quibus cognitio facilè ad ipsius rei cognitionem possumus pervenire, subtilitatem Magister, Scaliger, notat. Ne ergò & nos negligentes hoc monitum, statim *ἀπὸ τῆς θύρας* aberremus

Exerc. 359.
J. I. p. m.
1096.

remus, priusquam ad rei tractationem nos accingamus, vocabuli considerationem præmittendam esse duximus.

II. Constat autem & absolvitur definitio ὀνοματωδης tribus præcipuis capitibus, enucleatione videlicet *Etymologia, Homonymia, & Synonymia*, de quib⁹ singulis succinctè.

III. Vocabuli mortis igitur *Etymologiam* quod concernit, quidam à morſu deductum esse censent, quod Mordeat Omnia Roſtro Suo, vel quod Protoplaſti fructus vitæ morſu mortem adepti ſint, in quâ ſententiâ etiam eſt auſtiſſimus Eccleſiæ Patrum, Auguſtinus, mortem à morſu derivans, quod Diaboli morſu intervenerit. Alii à morâ mortem dictam eſſe putant, vel quod omnes omninò homines moretur, vel quod nullius moretur conditionem, ſed

lib. 1. contra Pelag.

Æquo pulſet pede pauperum tabernas:
Regumq; turres.

*Horat. Ode
4. lib. 1.*

*Exerc. 352.
p. m. 1087.*

Potior tamen illa videtur Originatio ſubtiliſſimi Scaligeri à Gr. μόρα vel μοῖρα, quod utrumq; Fatum denotat.

IV. Sequitur *Homonymia*, quæ præprimis ubiq; probè ac diligenter evolvenda venit, cum ſinè diſtinctione vocis ambiguae ad rei cognitionem pervenire velle fruſtraneum ſit. Nam juxta vulgatiſſimum Logicorum eſſatum:

Errorum genitrix eſt æquivocatio ſemper.

Quocircà cum etiã mortis vocabulum ſub cenſum cadat τῶν πολλαχῶς λεγομένων, ſumma poſtulat neceſſitas, ut ab æquivocatione illud liberemus, ne in errorum labyrinthum nos præcipites agamus.

V. Significationes ergò mortis variæ quidem ſunt, commodè tamen ad tres potiſſimum claſſes referuntur, quatenus ſumitur vox mortis vel Theologicè, vel Politicè, vel deniq; Phyiſicè.

VI. In foro Theologico quadruplex mors docetur
1. corporis, quæ animam à corpore ſeparat. *Hæc inevitabi-*

lis est & meditanda. 2. anima in delictis, quæ separat animam à Deo. Hac ineffabilis est & fugienda. 3. beata seu spiritus, quæ morimur peccato, hoc est, à dominio ejus liberamur, quæ separat à terrenis animam. Atque hæc salutaris est & amplectenda. 4. æterna seu gehennæ, quam secundam damnatorum mortem Scriptura appellat, quæ separat corpus juxta atq; animam à cœlesti consortio. Hac est interminabilis ac pertimescenda.

VII. In foro Ethico & Politico illi mortui dicuntur, qui gradu aliquo dignitatis, privilegiis omnibus dominii, libertatis atq; honoris privati sunt, ac vel solum sine actu & officio nomen venditant.

IX. In foro Physico tandem tripliciter potissimum sumitur 1. latè pro omnium rerum naturalium, animatarum æquè ac inanimatarum corruptione, juxta versum: Mors etiam Saxis marmoribusq; venit.

l. X IV. Quo sensu quoq; Plinius dicit: Mors memoriæ rerum omnium oblivio. 2. strictè pro *δυναμις* inclinatione sive propensione ad mortem, pro proximâ potentiâ ad mortem. Quo sensu rectè dicitur; Petrus moritur h. e. in Petro oritur alteratio & dispositio ad substantialem mutationem. 3. strictissimè pro actu, prout scilicet est in instanti, quando e.g. dico: Petrus est mortuus i. e. esse suum amplius non habet.

IX. Et hanc ultimam significationem, tanquam ad rem præsentem facientem, in præsentem nostram facimus.

X. Residua adhuc est *Synonymia*, ubi parum notatu dignum occurrit, nisi quod aliàs etiam mors Lethum vocetur à græc. *λήθη* quasi nos lateat: Ebræis mors est *מוֹת* & *מוֹת* à rad. *מוֹת* mori, undè Germanicum *Matt und Mude*. Græcis *θάνατος* à verbo *θνήσκω* morior, item *ἡ ἀνάλυσις*, propterea, quod mors sit solutio animæ à corpore. Et hæc de nomine sufficiant.

XI.

XI. Prælibatâ ὀνοματολογία ad πραγματολογίαν rectâ accedendum viâ.

XII. Mors variè multisq; modis definitur & describitur, tum à Philosophis tum ab Oratoribus. Unica instar omnium sit descriptio uti brevissima ita accuratissima, quam habet. Excell. Dn. Præses: *Mors est privatio vite in vivente à solutione animæ & corporis facta.*

XIII. Genus est *Privatio*, non quidem impropria illa & catachrestica, quæ negat nō privat, sed propria, quæ scilicet bonum naturale prorsus destruit, & subjectum tali privat habitu, qui ad perfectionē ejus spectat, ita ut actus simul & potentia tollatur, quo facto non potest regressus fieri ad habitum. Privatio habitus inesse debiti. Bonum quippè naturale subjectum suum, in quo ceu fundo alieno hæret, destruit, & habitu qui ad naturam & perfectionem ejus spectat, privat spoliatq;. Datur propterea inter vitam & mortem oppositio non Relativa, non Contraria, non Contradictoria sed Privativa, ut eruditè monet Ampl. & Excell. Dn. Præses, Brabeuta atq; Præceptor meus eternum honorandus.

*Institut.
Phys. lib.
VII. c. 2. ad
prac. 2. p.
1124.*

XIV. Differentia complectitur 1. *ἔξι* sive habitum nimirum vitam, quæ ad naturam & perfectionem viventis spectat. Habitum verò h. l. non adeò strictè sumimus prout cum Dispositione primam speciem qualitatis constituit, uti habitus alii sunt infusi alii acquisiti, & hi iterum vel animi tam principales quam instrumentales, vel corporis, ut saltatoria, pictoria, &c. Sed generaliter pro quavis formâ subjecto conveniente. Sicut visus aut auditus habituum appellatione veniunt, quatenus privativè surditati aut cœcitati opponuntur. 2. *Subiectum*, quod est vivens sive omne corpus animatum vel Planta, vel Brutum vel Homo. His etenim tribus speciebus vita convenit.

venit. Reliqua corpora omnia à nobilissimâ vitæ formâ
excludimus. Habitus autem & privatio idem requirunt
subjectum, & malum necessariò bonum postulat, in quo
tanquam in fundo alieno hæerere, vel ad quod respectum
habere potest, nisi malum absq; bono dari ἀφιλοσόφως sta-
tuere velis.

XV. *Definitionem mortis ipsa causa*, quæ ex eadem
immediatè fluere videntur excipiunt. Mors enim tan-
quam naturale malum causam utiq; desiderat à qua erit.

XVI. Non verò jam attendimus causas illas hyper-
physicas, quarum tres statuunt Theologicarum rerum
periti. 1. Diabolum seducentem. 2. Hominem delinquen-
tem. 3. Deum ulciscentem, sed Physicas illas & naturales,
quæ sunt nostri fori.

XVII. Quatuor autem causarum genera numerantur,
Efficiens, Materia, Forma, Finis, quæ in quantum possunt
hec quoq; applicandæ veniunt.

XIIX. Efficiens mortis causa alia remota est alia verò
proxima.

XIX. Remota est Influxus siderum & cœli non sem-
per propitius. Uti enim influxus cœli ad vitam conser-
vandam requiritur, ita si hic contrarius existit mortē cau-
sat. Non verò necessariò & infallibiliter. Uti enim nec
bonus influxus semper adsequitur scopum, ob materiæ
inhabilitatem: ita malus quoq; ob temperamenti boni-
tatem non semper suam exercere malitiam valet.

XX. Proxima subdividitur in internam & externam.

XXI. Interna est calidi innati defectus. Agit calidum in-
natum in humidum radicale, illud depascendo. Absumto
verò humido calidum quoq; cum eo exspirat, sicq; mors
naturalis viventi accidit. *Est enim calidum innatum, quod*

ab influente fovetur spiritu, arctissimum anime & corporis

vincit.

vinculum, quo soluto anima abit & corpus relinquitur. Est nobilissimum animæ instrumentum. Quamdiu calidi innati & humidi radicalis apta manet dispositio, tamdiu anima, nobilissima forma, commoratur in corpore, domicilio nobilissimo, quando verò corrupto hoc instrumento ad vitam conservandam uti non potest discedere cogitur. Discessã anima à corpore discedit vita.

XXII. Externa multiplex est. Sicuti enim ex calidi innati extinctione mors naturalis, sic extinctione spiritus influentis mors violenta oritur; Spiritus v. influens itidem substantia viventibus propria est, Spiritus autem ob subtilitatem dictus, fovens & excitans calidum innatum. Extingvitur verò ille Spiritus influens pluribus modis, inter quos nonnulli præcaveri, atque optimè vitari possunt, quidam in se contingunt, quidam verò planè particulares existunt. Hinc videmus homines vel peste abripi, vel veneno tolli, vel igne comburi, ferro interfici, aut fulmine tangi, aut alio tandem modo interire. Quosdam ex irâ vehementi, nimio gaudio, aut terrore obiisse historici referunt.

XXIII. Materiam visuri, ne confusio errorem pariat, distinctè procedendum est. Est enim alia Materia ex quâ, alia in quâ, alia circa quam.

XXIV. Materia ex quâ Morti concedenda haud est. Est enim Privatio, cujus materia ex quâ nulla datur.

XXV. Materiam in quâ Morti adscribimus *corpus vivens*. Mors enim inest homini, non ut accidens suo subjecto inhesionis, sed partim fundamentaliter, quoad principia, partim ratione imperii, quoad moriendi necessitatem. *Ut solide distingvit Dn. Praeses.*

XXVI. Materiam circa quam itidem Morti adsignare non possumus. Est enim illa potentiae aut scientiae aut habitus

l. VII. Exercit. II de Vita & Morte.

bitus alterius objectum, quod de Morte affirmare non licet.

XXVII. Formam attribuere velle Morti ἀφιλόσοφον est, cum sit privatio vitæ, tanquam formæ nobilissimæ. Quo sensu verò Theologi formam mortis describant vide sis Excell.

Institut.
lib VII. cap.
II. qv. 3.

Dn. Presidem in Phys.

XXIIX. Finis quoq; mortis nullus est. Mors enim est malum naturale. Omnis verò finis est bonus. & boni, uti notum est ex Metaphysicis.

cap. XVII.
de Respir.

XXIX. Superest DIVISIO. Dividitur enim Mors non quidem ratione sui, sive essentiæ, juxta quam non nisi una est, sicut una quoque hominis vita, quâ anima vivit & quâ vivit compositum, modi saltem differunt specie inquit Arist. Sed ratione causarum, quarum alia externa alia interna. Ex illâ violenta ex hac naturalis mors oritur.

XXX. Ubi quidem vox Naturalis non accipi debet pro eo quod naturæ conservativum est. Hoc modo enim mors, quæ naturam non conservat, sed potius destruit, naturæ contraria rectius diceretur, sed pro eo, quod ex causis naturalibus provenit.

Aristoteles
loco cit.

XXXI. Naturalis, quam κατὰ φύσιν Philosophus appellat, ὅταν ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ ἢ quando principium in ipso est, à naturali humidi resolutione oritur, quando scilicet ob humidum radicale planè absumentum calor naturalis totaliter extingvitur.

XXXII. Et hæc senibus propria est, nostroq; tempore rarissima avis, quo nemo fermè naturali morte moritur. Naturali morte peremti quàm celerrimè levi quâdam superveniente adfectione levi ac placido obitu resolvuntur, sinè ullo molestiæ sensu vel tamen sinè insigni dolore.

Quicquid enim contra naturam est, dolorificum est, quod verò securus

secundum naturam doloris expers. Dolor & molestia præsupponunt vim, inquit Ampl. Dn. Preses.

XXXIII. Hæc pro objectorum diversitate diversa obtinet nomina. In Plantis quidem *ἀναστροίς* in animalibus *ἄνεως* appellatur. Arist. loc. cit.

XXXIV. *Violenta* à præternaturali & externa quadam violentiâ oritur. *Βίαιον* Aristot. vocat ὅταν ἡ ἀρχὴ ἐξωθεν ἢ quando principium extrinsecus fuerit.

XXXV. Et quamvis Pars illa, cui infertur, naturalis sit, violenta tamen propter externam illationis vim jure suo dici meretur.

XXXVI. Licet quoque pro diversis atque variis causis externis varia quoque sit & multiplex uti monstravimus th. XXII commodè tamen in *μάργανον βίαιον* & *σβέσιον* ab Aristotele subdividitur.

XXXVII. *Μάργανον βίαιον* seu marcor violentus est, quando calor ante justum tempus à seipso corrumpitur, ita tamen ut præcedat vis externa. Sic aquatilia interire coguntur vitiata aquâ, sic homines infecto aëre, veneno, & mille modis aliis.

XXXVIII. *Σβέσιον* verò sive extinctio est & fit à frigore externo, dum violentiâ suâ & Calidum & Humidum opprimit. Sicut ignis frigidâ aquâ extinguitur. Ita multi per nivosa loca ambulantes multitudine nivium obruuntur. Sic plurimi magno æstu nimium incalentes haustu aquæ frigidæ perierunt. Sic enim calore ad exteriores partes evocato qui in corde & visceribus residuus est à frigore superatur.

XXXIX. Plurimæ utraqve externæ causæ accelerare mortem hanc violentam possunt, ita ut licet omnium unus ad vitam sit ingressus, exitus tamen dentur adeò plures ut in recensendis illis nec mille quaterniones suffi-

ciant, cum multa morborum genera etiamnum lateant Medicos probatissimos.

XL. Eademq; mors non gravium demum annorum est, in quamlibet cadit ætatem. Quia ante ætatem datur, ante pueritiam, ante infantiam, ante nativitatem. Cum denascitur homo, antequam nascitur. Non servat ordinem mors; posse mori satis est.

QVÆSTIONES.

I. *An mors sit eligenda præ vita?*

Ventilata fuit hæc quæstio inter nonnullos, quorum affirmativam alii, alii verò negativam tueri nifu omni contenderunt. Præ morte verò vitam eligendam esse pugnant rationes 1. Mors malum vita bonum. Appetitus autem nunquam in malum fertur sed semper in bonum. 2. Vita conservat corpus, mors autem destruit. Jam nullum vivens sui destructionem appetit.

II. *Cur mares longioris vitæ sint ipsis fœminis Resp.*

Accidit quidem nonnunquam, ut fœminæ virorum superent ætatem, diutius tamen plerumq; mares vivere quàm ipsæ fœminæ frequentissimum est. Idq; fieri videtur ob triplicem potissimum rationem 1. quia, firmitior & præstantior est virilis sexus fœmineo, præstantiores edere potest operationes, longioris igitur vitæ privilegio gaudere debet. 2. quia citius fœminæ ad *ἀκμὴν* perveniunt. Citius ergò moriuntur. Sicuti arbores, quæ citò crescunt, minus durabiles esse constat. Hinc quercus, quia serius ad *ἀκμὴν* perveniunt, durabiliores esse

esse videmus. 3. quia frigidioris naturæ sunt ipsis ma-
ribus, mas vero calidius animal, teste Aristotele *de long. &*
brest. vitæ. c. 8.

III. *An certus vitæ terminus possit prædici?*

Magnæ semper excitatæ fuerunt disputationes de
prædictionibus Astrologicis, & adhuc concertationes in-
stituuntur tantum non cruentæ. Nimum cælo atque
sideribus tribuere non erubescunt quidam, qui circa futu-
ra occupantur maximè, certum statumque mortis pun-
ctum ex constellationibus hominibus prædicere audent.
Sed temeritatem hanc non tam arti quam ejus cultori-
bus adsignantes mediâ incedimus viâ, largientes proba-
bilem quandam ex astris conjecturam haberi posse, fa-
talem verò necessitatem ac indubitatam scientiam ne-
gamus, cum astra inclinent non necessitent. *Prudens A-*
strologus in medio tutissimus ibit, ne si cælo nimum tribuat,
cælo seipsum exuat, verba sunt Exc. Dn. Præs. & Cassiod.
in Ps. *Cæci sunt & abominandi qui se existimant prævidere*
quæ Creator nobis utiliter decrevit abscondere.

Institut. lib.
III. cap. IV.
q. XV.

AXIOMATA HOMO MORTUUS NON EST HOMO.

Sublatâ parte tollitur & totum, Canon est Logico-
rum. Sublatâ igitur â corpore animâ hominis, amplius,
ceu totius compositi nomine venire non potest nisi æqui-
vocè tandem. Aristoteles ait: *Mortuus homo quæquam*
figura formam habet eandem, tamen homo non est. Adhuc, fie-
ri non potest, ut manus sit quocumque modo constans, ut aenea, aut
lignea, nisi æquivocâ nominis communione, sicut quæ picta
est,

lib. I. de
part. anim
cap. I.

est, utpotè quæ suo officio fungi nequeat. Quomodo nec lapidea tibia suum assequi munus possunt: neque medicus pictus artem medicinalem exercere potest. Pari ratione membrum quoque hominis vitæ functi, nullum id esse insuper potest, quod erat cum viveret, ut oculus, manus, pes, reliqua.

O. VIVENS NATURALI NECESSITATE EXTINGUITUR.

Multa quidem verba faciunt Chymici de auro suo potabili, & de quintâ essentiâ, quam tincturam quoque seu magisterium vocant. Lapidi Philosophorum tantam attribuunt vim, ut contra omnes morbos mortemque ipsum prodesse queat. Quæ sententia tamen non Physicæ tantum sed ipsi contradicit Theologiæ, atque verbo divinitus revelato. Medici quoque suâ arte plurimum valent atque conservant humidum radicale medicamentis suis. Ut ut verò sint optima illa ac præstantissima, dissimilia tamen ei sunt quod decessit. *Medicamenta morbis resistunt, sed dominante Natura, non succumbente, verba sunt Excell. Dn. Præs.* Et morbis non vero morti medicina paratur. Verum enim manet illud Menandri: *Βροτοῖς ἅπασιν κατθανεῖν ὀφείλεται* & Horat. Od. 28. l. 1.

*Exerc. lib.
VII. Exerc.
II.*

Omnes una manet nox
Et calcanda semel via lethi.

Christo, Deo Meo, LaVs.



I. N. J.

Ad amicisimum suum RÖBERUM.

M. PAULUM PHILIPPUM

Pietatis, ingenii & eruditionis exemplo

Parentis optimi amulum.

De Morte Disputantem.

SI quæris quænam RÖBERI insignia monstrent?

Nulla nisi horrendæ Mortis imago subit.

Horreat hæc alius, RÖBEROS multa juvabunt:

Mortalis memores conditionis erunt.

Vita fugit, sed Mors decus immortale meretur,

Magni RÖBERI filius hocce tenet.

Ardentesq; pyras vitabit posthuma Fama,

Mors Nati in cathedrâ, vita parentis erit.

Macte animo, RÖBERE, Polum petit ardua virtus,

Non moritur, doctâ qui statione valet.

Te magis atqve magis corroboret insitus ardor,

Vitaq; post paullo dona Paterna dabit.

Gratulatur &

vovet ex

animo Witebergæ

M. Jacobus Reichman/

Colleg. Phil. Adjunctus

Schol. Torg. vocat,

Rector.

Scili-

Scilicet hæc demum vera est meditatio mortis:
Quando studes rectè vivere, rite mori.
Nam Mors certa manet, manet irrevocabile Fatum;
Spe citius cursim quæ valuere ruunt.
Hoc tibi RÖBERUS monstrat, Tu consule Ducem,
Sic expers mortis, cum morieris, eris.

*In honorem Domini Commensalis
deproperabat*

**Adam Immanuel Köning S.S. Theol. Stud.
Cöslino Pomeranus.**



M. Jacobus Diering
Colleg. Phil. Altonensis
Schol. Tor. v. p. 17
Rector

1788



05 A 1762

ULB Halle 3
003 785 807




WDA

Bd.







53

ΘΑΝΑΤΟΛΟΓΙΑ
SIVE
DISPUTATIO PHILOSOPHICA
DE MORTE.

Quam,
D. T. O. M. A.

In Patriâ Academiâ,
Almâ Leucoreâ.

SUB PATROCINIO
VIRI

Præclarissimi, Amplissimi atque Excellentissimi

DN. JOHANNIS Sperlings/
Philosophi, atque Naturalis Scientiæ Professoris
Publici longè celeberrimi, Præceptoris,
Brabeutæ atque Patroni sui ætatèm ho-
norandi.

ad placidam συμβολολογίαν pro more
instituendam exhibet ac proponit

M. PAULUS PHILIPPUS RÖBERUS
SS. Theologiæ Studiosus.

Ad diem 9. Augusti horis matutinis
in ἈΚΡΟΑΤΗΡΪΩ Majori.

Quotidiè morimur, quotidiè enim demitur aliqua pars vitæ. Hunc ipsum quem
agimus diem, cum morte dividimus. Quemadmodum clepsydram non extremum
stillicidium exhaurit sed quicquid antè defluxit: sic ultima hora, quæ esse desinimus,
non sola mortem facit, sed sola consummat. Seneca Epist. 24.

WITTEBERGÆ

Typis Fincelianis, Anno clc lvc LVI.

53